Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 219
Quelle:
Copyright:

praefert, olim *M. Pauli Wann de Kemnat* Can. deinceps *Paſſavienſis* et Eccleſiaſtae celebris, de quo alibi dictum, I. continet Enumerationem, *De quo quilibet pſalmus intelligatur literaliter, de quo moraliter aut miſtice.* Ita: *Beatus vir qui non abijt. Iſte pſalmus eſt de chriſti ſiue de viri iuſti perſecutione* &c. Pſalmi in *Quinquagenas* diſtributi ſunt, quibus in fine *Cantica V. T.* adjunguntur.

Fol. 22. p. 2. incipiunt Adverſaria ex omni Theologia congeſta, praecipue Quaeſtiones deciſae et ſuis rationibus fultae, Theſes expoſitae, Excerpta e Scriptis variorum PP. Homiletarum et Profeſſorum, quam ſibi Supellectilem in vitam reliquam paraſſe videtur praefatus *Paulus Wann*, dum ſacris ſe ſtudiis apud nos excoleret. Nam ſaepius et ejus nomen occurrit v. g. *fol.* 29. ad quasdam *de judicando Proximo* Quaeſtiones adſcriptum eſt: 1450. *reſpondit M. Paulus de kemnaten*, et variorum ſparſim Doctorum *Vindobon.* fit mentio, puta: *Narciſſi de Perching*, *Johannis* (Widmann) *de Dinkelſpühl*, *Thomae de Wuldersdarff*, *Joh. de Titmanning*, *Conradi Salder*, *Wolfg. de Egenburga*, *Andr. de Pottenbrun*, *Leonh.* (Huntpichler O. P.) *de valle brichſien.* &c. qui omnes non ſemel in his *Commentariis* memorantur.

Fol. 331. *Tractatus pro intellectu juris.* Init: *Sciendum quod corpus iuris diuiditur in ius canonicum et ius ciuile. Et ius canonicum diuiditur in Decretum et Decretales* &c. Et ſic ulterius notitia Partium, Autorum, Commentatorum, Doctorum, Abbreviationum, cum Verſibus memorialibus, qui etiam vetuſtis Editionibus Juris Can. praemittuntur. Non deſunt lapſus. Ita: *Gratianus monachus ordinis predicatorum penitenciarius pape fuit compoſitor Decreti. Raymundum de Pennafort* et *Decretales* dicere oportebat; *Gratianum* enim O. S. *Bened.* fuiſſe, nemo jam neſcit, niſi fortaſſe Bibliopola ille, qui, cum *Decretum* edidiſſe legeret, Imperatorem fecit.

CXLVI.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 279. 4. minutius, multisque compendiis exaratus et rubricis diſtinctus hunc a coaeva manu in theca Titulum praefert: *Moralitates ſuper libros ſapientiales et prophetarum.* Atque reipſa breves adnotationes in praedictos Libros hoc ordine ſe conſequuntur: In *Eccleſiaſticum*, *Eccleſiaſten*, *Sapientiam*, *Parabolas* et *Cantica*, dein in *Joel*, *Amos*, *Abdiam*, *Jonam*, *Micheam*, *Naum*, *Abacuc* et *Oſeam.* Ingreſſus in *Eccleſiaſticum* eſt hujusmodi: *In medio eccleſie aperuit os eius. ecc. 15. prouiſor et gubernator communitatis tempore habundancie bona recondit et congregat* &c. Ad calcem legitur: *Explicit ſuper eccleſiaſticum poſt fratrem Jacobum.* Quisnam hic frater? Eſt is *Jacobus* ab urbe patria dictus *de Lauſanna* ſive *Luſanna* Ord. Praed. U. 71

qui